



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Crvm. Placentino Electo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

terrae fuerit, liceat vobis clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Nulli ergo &c. protectionis, confirmationis, constitutionis, & prohibitionis &c. Datum Laterani V I. Idus Iulij.

## CRVM. PLACENTINO ELECTO.

*Epiſt. III.  
Electionem ipſius confirmat.*

**A**ccedentes ad præsentiam nostram dilecti filii Hugo Vicedominus majoris Ecclesie, magister Alb. sancti Antonini Canonicus, & Al. Prior sancti Savini Placentin. cum litteris dilectorum filiorum Archidiaconi, Cleri, & populi Placentini, sua nobis relatione monstrarunt, & hoc ipsum præmissæ litteræ continebant, quod defuncto bona memoria Episcopo Placentino, Clerici ejusdem civitatis convenientes in unum, & de substituendo pastore longum tractatum habentes, tandem faciente illo qui divisa congregat, & congregata conservat, in te vota sua unanimiter conculerunt, suppliciter postulantes ut electionem de te canonice factam ratam habentes, eam curaremus auctoritate apostolica confirmare. Nos ergo volentes de forma electionis fieri certiores, sicut moris est approbati, de processu ipsius per venerabilem fratrem nostrum I. Albanen. Episcopum & dilectum filium I. tt. sanctæ Priscæ Presbyterum & G. sanctæ Maria in Aquirō Diaconum Cardinales inquire fecimus diligenter, & tam per examinationem nunciorum ipsorum, quam ex decreto tenore nobis exhibiti, cognovimus evidenter electionem canonican exitisse. Verum quoniam in hujusmodi duo tanquam potissima requiruntur, quod scilicet electio sit, & idonea sit electi persona, quorum primum eligentium factum, secundum autem electi meritum respicit, & ob hoc duplex fit examinatio necessaria, electionis videlicet & electi; licet per examinationem præmissam de forma electionis canonice redditu fuerimus certiores, tuam tamen personam, velut absentem, examinare nequivimus. Ceterum quia quorundam fratrum nostrorum assertio, qui te pleniū cognoverunt, super vita pariter & scientia laudabile tibi testimonium perhibebant, & hoc ipsum præsumi poterat evidenter ex eo quod in ordine Cistercien. & ad prioratus officium & ad abbacie regimen assumptus fuisti, & in

utroque laudabiliter conversatus, nos tam tua personæ quam Ecclesie Placentinæ ampliorem volentes gratiam exhibere, de consilio fratrum nostrorum electionem ipsam, sicut canonicè facta est, approbantes, eam duximus auctoritate apostolica confirmandam; confidentes in Domino & in potentia virtutis ejus quod cum honoris augmento virtutum tibi dabitur divinitus incrementum, quibus potenter adjutus, feliciter majora procures, qui minoribus haec tenus laudabiliter insudasti. Et quoniam ad episcopale otus pariter & honorem non duxisti absque nostra licentia transeundum, ne gregi dominico diu desit cura pastoris, discretioni tuae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad regimen Ecclesie Placentinæ, tanquam sponsa tibi divinitus præparata, lecurus accedens, auctoritate apostolica præminitus, circa utilitatem Cleri & populi tibi commissi sollicitudinem vigilantem impendas & operam efficacem; ut sub regimine tuo plus per Deum quam per hominem, sicut creditur, proeurrato, præfata Ecclesia, quam prædecessoris tui obiit ad vesperam contrastavit, de promotione tua lætitia matutina recepta, spiritualibus & temporalibus proficiat institutis. Datum Laterani V. Idus Iulij.

*Epiſt. III.  
Scriptum est super hoc in eundem ferè modum Clero & populo Placentin. usque ad verbum institutis. Quocirca universitatí vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus eidem electo, tanquam patri & pastori animarum vestrarum, debitam obedientiam & reverentiam impendentes, tam circa spiritualia quam etiam temporalia sibi pareatis humiliter & devote, recipientes firmiter & tenentes ipsius salutaria monita & præcepta, ut subsidio vestræ devotionis adjutus, divina præcedente gratia & sequente, ad honorem Dei, salutem suam, utilitatem vestram, & profectum Ecclesie Placentinæ, injunctum sibi officium valeat feliciter consummare. Datum ut suprà.*

ALDIGERIO DECANO  
& Canonici Aquilegiensi.

**O**rta nuper inter vos & dilectum filium Poponem Præpositum Aquilegien. super administratione possessionum Aquilegien. Ecclesie ad Canoni-

*Epiſt. III.  
Decidimus con-  
troversia Deca-  
ni & Capituli  
Aquilegienis  
contra Com-  
muni Præpositum.*